



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**R.P. Leonardi Lessii E Societate Iesv Theologi. In D.  
Thomam De Beatitudine. De Actibus Humanis. De  
Incarnatione Verbi. De Sacramentis Et Censuris.  
Prælectiones Theologicae Posthumæ**

**Lessius, Leonardus**

**Lovanii, 1645**

Dvb. 2. Vtrum hæc scientia infusa habeat vnum actum sibi adæquatum.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72898](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72898)

*Solutur.*  
*Hac Christi*  
*scientia*  
*non erat*  
*Angelis*  
*connatura-*  
*lis.*

Sed contrà; hæc scientia fuit perfectior & altioris ordinis, quàm scientia Angelica (vt ostensum est art. 4.) ergo non est Angelis connaturalis, imò nec potest esse connaturalis alicui creaturæ: quia per hanc cognoscuntur mysteria supernaturalia, & futura contingentia, quæ à nulla creatura naturaliter cognosci possunt. Ergo sicuti reliqua dona supernaturalia in Christo sunt multò excellentiora, quàm in Angelis; ita etiam tota hæc scientia, & ratione luminis, & ratione specierum intelligibilium. Confirmatur; quia lumen huius scientiæ est efficacius, & altioris ordinis; quàm lumen naturale Angelicum: ergo & species intelligibiles illi proportionatæ, sunt perfectiores & vniuersaliores. Nam species intelligibiles accommodantur, & vcluti adæquantur lumini, cui deseruiunt; non autem perfectioni naturali intellectus.

*Obiectio.*  
*Species illæ*  
*erant su-*  
*pernatural-*  
*es.*  
*Solutur.*

Dices Secundò, Hæc scientia est tantum supernaturalis ratione luminis, non autem ratione specierum intelligibilium; sicut patet in fide & in prophetia. Sed contrà; hinc sequeretur hanc scientiam esse valde imperfectam, & quasi dimidiatam: eum enim duo requirantur ad perfectam cognitionem, scilicet lumen, & species lumini proportionatæ; hæc scientia constaret dumtaxat lumine, & careret proprijs speciebus sui ordinis. Vnde Christus per hanc scientiam nihil supernaturale perfectè & distinctè cognosceret. Nec valet similitudo de fide & prophetia; quia sunt cognitiones imperfecte, & assensus seu iudicium in his tantum est supernaturale; apprehensio autem est naturalis & imperfecta per conceptus extrinsecos & conotatiuos, id est, haustus ex rebus sensibilibus. Nec obstat Ratio D. Thomæ: quia etiamsi perfectiones naturales accommodentur naturæ; supernaturales tamen non semper naturæ angustijs & humilitati accommodantur; sed subleuant interdum naturam ab imperfectione naturali, ad suam perfectionem & sublimitatem; vt patet in lumine gloriæ. Quòd si istæ species deberent accommodari naturali capacitati mentis humanæ, non possent repræsentare omnia indiuidua, proprietates, & accidentia vnus naturæ specificæ; quod tamen vult D. Thomas iuxta expositionem Caietani.

DVBIVM I.

*Vtrum Lumen huius Scientiæ sit etiam multiplex instar specierum?*

*25*  
*Lumen*  
*erat sim-*  
*plex.*

Respondeo; Hoc lumen esse tantum vnicum, & vnum numero habitum. Ita D. Thomas hic ad 3. Et clarius in 3. dist. 14. a. 3. quæstionc. 4. & alij passim.

Ratio Est; quia quòd lumen est altius, eò plura potest attingere: Sicut patet in lumine naturali Angelico, quod etsi vnum sit, tamen per varias species plurima potest cognoscere, non solum spiritalia, sed etiam corporalia: ergo multò magis lumen supernaturale, quod non solum est habitus quidam, sed etiam potentia quædam supernaturalis tribuens posse; poterit se ad omnia spiritalia & corporalia, naturalia & supernaturalia extendere. Quod etiam potest confirmari exemplo fidei & charitatis, quæ ad plurima se extendunt, etsi in se sint simplices habitus.

DVBIVM II.

*Vtrum hæc Scientia Infusa habeat vnum actum sibi adæquatum?*

Respondeo; Non habere vnum, sed successiue plures distinctos numero vel specie: simul autem habet vnum actum perfectum, vni speciei intelligibili adæquatum.

*26*

Prior Pars probatur, Quia omnia corporalia & spiritalia, omnia naturalia & supernaturalia, omnes substantiæ & accidentia, non possunt vnico actu clarè & distinctè cognosci; præsertim cum non cognoscuntur in aliquo superiore obiecto; sicut in essentia diuina: atqui ad hæc omnia hæc scientia se extendebat. Adde hoc esse proprium lumini gloriæ, vt habeat vnum actum sibi adæquatum, quo ad omnia sua obiecta se extendat.

*Non erat vnus actus*

Secunda Pars patet, Quia actus huius scientiæ sunt varij: alij enim sunt intuitiui, alij abstractiui; alij à priori, alij à posteriori; alij in testificante, alij in reipsa. Valde autem probabile est numquam hanc scientiam esse otiosam, sed semper in aliquo actu; sicut scientia Angelica.

*Sed varij.*

Tertia Pars patet, quia species infunduntur in ea vniuersalitate, vt commensurentur luminis efficacitati; & tantum repræsentant, quantum lumen se potest simul vnico actu extendere (hec enim alia conueniens ratio dari potest limitationis specierum: ) ergo actus adæquatus vni speciei, est adæquatus lumini, quatenus in vnum actum potest se ctere, seu excitare; ac proinde lumen habens illum actum, non potest habere alium perfectum. Quæ omnia confirmari possunt exemplo cognitionis Angelicæ.

*Actus perfectus erat vni sue speciei adæquatus.*

DVBIVM III.

*Quale sit hoc Lumen scientiæ Infusæ?*

Respondeo; Probabile est, non esse reipsa distinctum à lumine gloriæ; sed esse ipsummet lumen beatificum, quatenus vtitur speciebus intelligibilibus ad cognoscendas res in proprio genere, per cognitionem vespertinam. Sicut enim lumen naturale Angelicum primò & necessariò fertur in ipsam essentiam Angelicam, cui ipsum est naturale, & in ea quæ in essentia continentur; secundariò autem per species intelligibiles fertur in alia obiecta spiritalia & corporalia: ita lumen beatificum quod est participatio suprema luminis diuini, primò & necessariò fertur in essentiam diuinam, tamquam primarium obiectum sibi connaturale, simul attingens ea quæ in ipsa, vt in causa continentur; secundariò autem per species intelligibiles fertur in alia obiecta tum supernaturalia, tum naturalia.

*27*  
*Non differt à lumine gloriæ.*

Ratio est; Quia quòd lumen est sublimius, eò ad plura se extendit; vt patet inductione. Et confirmari potest exemplo luminis Angelici, quod non solum ad spiritalia, sed etiam ad corporalia se extendit. Itè exemplo charitatis, quæ etsi primariò diligit Deum, & bonitatem increatam; tamen secundariò fertur etiam in bonitatem creatam, tum supernaturalem, tum etiam naturalem. Contrarium tamen etiam probabiliter defendi potest; scilicet, lumen huius scientiæ à lumine beatifico distinctum esse.

*Quòd sublimius est sublimius eò ad plura se extendit.*

Negari Tamen non potest, quin lumen beatificum etiam se ad res creatas extendat.

*Vide l. 2. de Summo bono c. 10. 73.*

QVÆST.